# DISSERTATIO MEDICA,

## INAUGURALIS,

DE

# DIARRHOEA:

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

## DE

# DIARRHOEA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,*

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu,*

*Et nobilissimae* FACULTATIS MEDICÆ *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE MEDICINAM HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDMUNDUS BUTLER, HIBERNUS.

*Ut alimenta sanis corporibus agricultura,*
*Sic sanitatem aegris medicina promittit.*

CELSUS.

Ad diem 18 Julii hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM TYPIS ACADEMICIS.

M,DCC,LXIII.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

### DE

# DIARRHOEA.

QUANDO in corpus humanum cogitationes adhibemus, patebit, ut puto, nullam ejus mirae machinae partem aequè morbis obnoxiam esse ac canalis iste quem nos intestinalem appellamus; hic enim commune est receptaculum omnium ingestorum, sive medicamenta sint sive nutrientia.

PHARMACA, (licet medici etiam peritissimi manu administrata,) propositum aliquando frustrent, et sic nociva fiant.

QUOAD alimentum, sive quod eâ ingerimus sub specie, morbis innumeris ansam praebeat, non solum ut corporis nutritioni

 interdum

interdum inimicum, ſed, quamvis primo ſaluberrimum, a multis tamen hic confertis plicis et flexuris variis, retentum, non ſolis inteſtinis ipſis, verum reliquo etiam corpori, morbos variorum inducat generum; inter quos Diarrhoea, quae ſequenti ſuppeditat tractatui argumentum, infimum non videtur tenere locum.

PRIUSQUAM in hoc me accingo notari idoneum videtur, quod nonnullis familiare ſit alvum deponere liquidum, etiam aliquo ſine ſanitatis detrimento, imo aliquando benignae nixus eſt naturae, ad morbos quoſdam avertendum: ipſe pronunciavit HIPPOCRATES, (*a*) "Juvenes qui humidum alvum habent, melius ſe habere quam illi quibus ſiccior alvus eſt;" et alio in loco (*b*), "Raro contingere febres ardentes illis, qui laxiorem alvum habent."

NONNUNQUAM Diarrhoea critica eſt, et alia ſolvit mala; ſed quando ipſa, ut morbus invadit, et medici mereatur attentionem,

(*a*) Aphor. 53. Sect. 2.

(*b*) De aere, locis et aquis, Charter. tom. 6. p. 190.

nem, facile a ſymptomatibus nunc recenſendis cognoſcetur.

## DEFINITIO.

Diarrhoea, Graecis, Διάῤῥοια a διαῤῥέω, quod a διά *per* et ῥέω *fluo*, apud medicos pro frequenti et copioſa per alvum excrementorum liquidorum egeſtione uſurpari ſolet, ſine febre concomitante, torminibus vel teneſmo, quae diarrhoeam inter et dyſenteriam diſcrimen conſtituunt. Aliquas fortaſſe praeberet ſubdiviſiones hic morbus, pro materia excreta, qualis bilioſa, ſeroſa, &c. Sed de hac re poſtea.

## SYMPTOMATA.

Haec ſunt, primo, appetitus proſtratus; ſitis; pulſus lentus; color faciei pallidus; borborygmi et ructus putridi. Si longius maneat, accedit virium dejectio; membra omnia languida, et oculi triſtes deveniunt;

poſtea

poſtea egeritur mucus; ſi vero evacuentur cum torminibus ſanguis, et aliquando inteſtinorum ramenta, Dyſenteriae potius aſſumit appellationem.

## RATIO SYMPTOMATUM.

*Appetitus proſtratus.*] Quando aliqua (qualis in hoc morbo) reperitur primis in viis haerere ſaburra, nauſeam et appetitum proſtratum creare experientiâ docemur; quod, a nervis ibi confertis, ingrato tentatis ſtimulo, oriri videtur.

*Sitis.*] Ex tribus cauſis originem ſumere poteſt hoc ſymptoma. 1*mo*, A corpore in genere, aſſiduo liquidi per inteſtina tranſitu, ſicciore reddito. 2*do*, Veriſimile eſt, hoc in morbo aliquid ſtimulans ſanguini ineſſe (ut poſtea probare conabor) ad quod mitigandum naturâ admonemur. 3*tio*, A liquido in cauſa prima memorato, acriore facto vel magis putrido, et inde primas ſtimulando vias.

*Pulſus*

*Pulſus lentus.*] Omnia quae vim vitae cito exhauriunt, pulſum reddunt magis lentum; evacuationes ſubitae praeſertim, hoc efficiunt; ſed haemorrhagiâ largâ exceptâ, nulla potentius, quam alvi fluxus.

*Color faciei pallidus.*] Cauſis duabus pendere poteſt hoc ſymptoma, 1*mo*, Sanguis adeo inſpiſſatur, ut per capillaria immeabilis ſit; vel 2*do*, Si Diarrhoea diu duraverit, ſanguinis pars rubra ſoluta fiat, ut in ſcurbuto.

*Borborygmi et ructus putridi.*] Inteſtina ſaniſſimorum, ab aëre raro libera ſunt, qui generatur praecipue ab alimento putreſcente; et ex WEPFERI experimentis patet, ſi quandoque acria illis applicentur, in diverſis partibus alterne contracta et relaxata fiunt, et aër incarcerata exitum petens, ſurſum et deorſum continuo propellitur, ſonitum hujuſmodi producens; majorem vero habeat poteſtatem borborygmos producendi ſtimulus, quando canalis alimentorum craſſiorum vacuus ſit, et ejus diameter ſtrictior reddatur.

Virium dejectio, membra languida, et oculi triſtes, pulſûs lenti cauſam exhibent; haec etenim imbecillitatis ſunt ſequelae.

*Muci*

*Muci egeſtio.*] Sub çanalis alimentaris tunica muſculari poſitae ſunt multae glandulae, et cryptae, mucum inteſtinorum cavitati ſuppeditantes, quo a faecuum acrimoniâ ſervantur ; ſed quando aliquis major applicatur ſtimulus, vel ipſe fit acrior mucus, frequentiores et validiores aguntur in motus inteſtina, et citius abraditur hicce mucus, et evacuatur ; hoc tamen raro accidit donec morbus diutius duraverit, et in propinquo eſt dyſenteria. Mucus aliquando ſpumeſcit, quam ſpeciem, ab inteſtinorum accelerato acquirit motu, et ab aëre incluſo. Quoad inteſtinorum ramenta, ab auctoribus memorantur quibuſdam ; ſed credo, rariſſimè, ſi unquam, in ſimplici evenire diarrhoea, potius vero dyſenteriae ſuccedere.

## CAUSAE REMOTAE.

Ex omnibus quibus cruciatur morbis genus humanum, vix unus invenietur majorem çauſarum praediſponentium catervam, quam hicce,

hicce, numerans, ut posthac patebit. Prima, et fortasse frequentissima, est

*Bilis vitium.*] Bilem, (ex saponacea qualitate et leni stimulo) ad cibi subactionem et assimilationem omnino necessarium esse, observando quid in Regio accidit morbo, facile apparebit. Nam in hoc morbo felli, in intestina denegato introitu, induratissima semper exprimuntur scybala; contra, si nimis abundaverit, sive acrior fit, diarrhoeam facile producat; sic choleram aliquamdiu protractam sequitur alvi profluvium periculosissimum, quia bilis, copiose nimis secreta, et in intestina partim demissa, acrimoniam calore ibidem acquirit. Praeterea extraneum quoddam in intestinis cum bile misceatur, quod eam mutandi potestatem habeat, qualia acida quando nimia adsunt proportione; haec enim efficiunt ut saponacea ejus qualitas plus justo augeatur, quae vi attenuante succum intestinalem solvat, et diarrhoeam producat. Sed meum non est in rebus perscrutari tam minutis. Videbantur Veteres, bili soli hujus morbi

morbi attribuere causam, ut in scriptis passim extat.

*Probitita perspiratio.*] Quanta ab hac cöercita salutari excretione oriuntur mala, a SANCTORII, et omnium de re medica scribentium, auctoritate docemur. Inter illa mala diarrhoea non rarissimè evenit, et olim immortalis pronunciavit HIPPOCRATES, "Cutis raritas alvi densitas, et vice versa "intelligi potest." Haec (suppressio scil.) frequentissima fortassis, intemperiei hujusce, bili excepta, causa ponatur; quare autem intestina versus determinaretur, explicatu difficilius est. Sed extrorsum ire impedita, qua data porta ruit, et ad renes nisi, nusquam proclivius influit quam horsum. Sic patet, quare lecto, sive alio calido de loco, surgens quis, et corpus frigidae exponens aurae, saepe brevi post levia patiatur tormina, et mox liquidum deponat alvum; hoc praesertim accidere observatur in locis paludosis et humidis degentibus, qui huic maxime obnoxii sunt morbo. Idem quoque accidere videtur quando subito aëris a calore ad frigus (praesertim si nebulosum sit coelum) transitus

tranſitus eſt; ſed hic ſolus non eſt morbus ab hac productus cauſa, ut ipſe dicens notavit HIPPOCRATES*, "Auſtri vero corpora exſolvunt et humectant, graviditatem capitis, auditum gravem et vertigines faciunt in oculis, et in corporibus difficultatem ad motum, et alvos humectant." Hoc ab aëre, humiditate ſaturato, pendet; nunc qui materiam per cutem excretam attrahendi poteſtatem non habet, unde introrſum vertitur. Frigus pedibus applicatum, in nonnullis delicatulis, alvi fluxum non raro producit, quod univerſalem per ſympathiam ab inductâ ſtricturâ in corporis ſuperficiem oriri videtur, et perſpirationis prohibente exitum. Haec cauſa HOFFMANNO notatur, qui dicit ‡, "Notum quoque eſt, ex inceſſu nudis pedum plantis in pavimentum frigidum, necnon improvida pedum refrigeratione, cutem per omnem corporis ambitum ſtringi, et tormina ventris nonnunquam cum alvi fluxu arceſſi." Si igitur alicujus fluidi acrioris copia in primis viis di-



* Aphor. cum ſect. 3.

‡ Tom. I. ſect. 1. cap. 5. p. 315.

lapſa, huic occaſionem det malo, haud concipere difficile erit, quomodo ab hoc fonte originem ducat. Omne igitur quod ſalutiferam hanc prohibet eliminationem, diarrhoeae cauſa remota haberi queat; ſic animi nonnulla pathemata, qualis moeror, ei cauſam ſuppeditent; etiam timoris eam producendi exempla extant.

URINAE ſecretione vel excretione impeditâ, eam produci aliquando obſervatum eſt; ſecretione ſcil. quia ſanguinis pars acrior, quae per urinam elui debet, nunc retenta, ſanguinem ſolvit; et excretione, quae iiſdem explicari queat principiis ac

HYDROPS, qui alvi fluxui cauſam aliquando praebentem obſervatus eſt; quando enim humor aquoſus per abſorbentia in ſanguinis fertur maſſam nimia quantitate, in inteſtina eodem deponitur modo ac materies perſpirabilis prius memorata.

ERROR in dieta. Hoc ſaepiſſime meritò incuſatur quia innumera ſunt mala ab eo orta, ſed praecipue culpantur cibi non facile aſſimilati, et fermentabiles, qualis panis Azymus, *&c.* et ut notabilis,

utar

utar auctoris verbis*, " Videmus saepe, infantibus, quos, parentes inopiâ pressi, crudis farinosis non bene fermentatis, quotidie nutriunt, tumere abdomen infarctum indigestili tali cibo, alvum tardam esse, et lentam continuam febrem miseros depascere, tandemque in Diarrhoeam et Dysenteriam incidere et mori." Fructus immaturos vel etiam horaeos, nimis magna copiâ ingestos, Diarrhoeae saepissime occasionem dare, annuunt plerique medicorum; a fermentali horum fructuum qualitate hoc pendere videtur. Sic, locis ubi vinum paratur pomaceum, vidi in negotio occupatos, si liquorem hunc recenter expressum avidius hauserint, diarrhoeâ poenas luisse; similares a cerevisia fermentanti affectus occasionem videre nuper habueram; fermentatio quae his suppeditat effectibus causam optime a corporis juvatur calore.

Acidum. Ab hac causa praecipue in infantibus accidit et delicatulis; in talibus enim irritabilitas insignior est primarum viarum, et facilius in spasmos convelluntur a minimo etiam

* Van Swieten, com. in Boerh. aphor. § 586.

etiam ſtimulo. Ab eadem cauſa in infantibus a vermibus oriri ſaepius obſervatur.

Hic incongruum non eſt inteſtini intuſſuſceptionem ponere; cujus, exemplum noſtro occurrebat Anatomiae Profeſſori.

Cibus nimis oleaginoſus aliquando vituperari meretur; ſic apud Tulpium habetur *, "Quod gracilis et tenera mulier, aſ-"flicta frequentius, ſive febre tertiana, ſive "ab obſtructa liene, excrevit tandem quoti-"die, per quatuordecim et amplius menſes, "plurimum flaveſcentis adipis ſtercori in-"cumbentis, inſtar butyri liquefacti; atque "tali quidem copia, ut aliquot vaſcula re-"plere potuiſſet."

Ipse obſervavi ſaepius, inter noſtratum pauperes, (quibus mos eſt, ſtatis anni temporibus) cum carnem ſuillam perpinguem magna deglutirent quantitate, quòd, quamdiu perſiſtant recentem vel inſalitam eandem edendo, eos perpetuò laborare diarrhoeâ. Hoc, a lubrica carnis qualitate ſolummodo oriri, non videtur; ſi enim res ſic ſe haberet, nonne potius lienteriam paſſi fuiſſent? Sed a calore,

* Lib. 3. cap. 18. p. 208.

calore, olea etiam blandiſſima, rancida et acria fieri ſenſibus patet, et inde potius alvi dejectio deducitur.

Hic memorare idoneum videtur hypercatharſin ſive purgantium nimis acrium effectum; haec enim non ſolum cum inteſtinis ipſis in contactum venientia, verum etiam remotae corporis parti applicata, eundem efficere effectum aliquando obſervata ſunt. Sic, nonnulla ex fortioribus catharticis, qualia colocynthus, abdomini applicata, alvum ciere viſa ſunt; ſimiliter helleborus pedibus adhibitus, alvum ducendi poteſtatem habet. Caſum ſequentem, huic congruum, a celeberrimo anatomiae Profeſſore nuper audivi. Puellae 12 annos natae, poſt variolas, prope malleolum apparebat tumor, qui diſrumpebatur. Ab ulceris fundo in tibiae cavitatem apertura erat pollicibus plus duobus excavata, cui turunda ex aloe, myrrha et melle facta, immiſſa fuit. Quamdiu in hac perſiſtebatur methodo, perpetuam paſſa eſt alvi purgationem puella, alöe autem omiſſa, brevi deſiit.

Abscessus. Pus in cavo corporis loco collectum resorberi posse venosis osculis, sanguine misceri, et postea in intestina deponi, docent observata; sic apud Van Swieten insigne hujus habetur exemplum, " (*a*) Nobili viro in bellico conflictu cubitus trajiciebatur globulo plumbeo, sic ut cubiti os fractum esset, et dein gravia plurima symptomata, una cum febre continua, accederent; simulque satis magnus abscessus vulneris locum et vicina occuparet. Cum jam maturi abscessus aperturam faciendam statuissent chirurgi, ingens Diarrhoea vulneratum corripuit, statimque omnis tumor membri vulnerati evanuit; visumque fuit, ingentem puris copiam alvo excretam fuisse. Et dum postea novo pure tumeret abscessus, ortâ denuo Diarrhoeâ, illud evacuatum fuit; hocque modo periculosum satis vulnus sanabatur."

In multis etiam casibus, materies peccans alicujus morbi huc transferatur; sic, oritur aliquando purgatio, a sanie caustica anginae; aliquando ab arthritis materia; etiam post

(*a*) Com. in Boerh. aphor. vol. 1. p. 706.

post variolas saepissime evenit. Multae aliae hujusmodi Diarrhoeae causae numerari queant, illae tamen praecipuae sunt.

## CAUSA PROXIMA.

Quicunque catharticorum in primis viis recte intelligit operationem, quodammodo Diarrhoeae cognoscat causam proximam; ex quodam stimulo eam pendere verisimillimum videtur ex observatione irritantium in corporis partes diversas teneras, effectuum: sic acre quid in oculum stillatum, copiosum inducit lachrymarum fluxum; in os ab eodem, saliva invitatur; sternutamentorum actione in narium teneram membranam mucus copiose deducitur. In tubam alimentarem ideo, a tali causa fit humorum influxus; vasis enim exhalantibus, innumeris fere, donantur, et nervi per omne punctum fere distributi, irritabilitatem ejus arguunt. Sine aliquo tamen stimuli gradu, ingestorum digestio non recte perficitur, neque intestina in motum excitantur peristalticum,

ticum, quo aſſimilatur alimentum, corporiſque nutritioni aptum redditur. Sed ſi quacunque de cauſa ita irritantur primae viae, ut per motum hunc vermicularem, (validiorem et celeriorem) illa quae in iis continentur, citius ad anum veniant, non dabitur tempus requiſitum ut venae abſorbentes omne liquidum exhaurire poſſint, quod nunc inteſtinorum motu propellitur in copia nimis magna; ſed frequentius movebitur alvus et liquida erunt excrementa, id eſt, aderit Diarrhoea.

## PROGNOSIS.

Ad certam faciendam prognoſin nonnulla notari neceſſe eſt de quibus nunc mentionem faciemus.

1*mo*, Materiae excretae copia et conſiſtentia. Si per Diarrhoeam tollatur ſuperabundans quidam in corpore humor, (quamvis ſanus fuerit,) vel expellatur noxia aliqua materia, integris aegri viribus, bonus erit effectus et eventus ſalubris. Contrarium

rium autem obtinet, ubi bonorum humorum jactura fit, vel vires aegri validam ferre nequeant evacuationem. Criticâ quandoque diarrhoeâ tollitur in morbis illud, quod a sanitatis legibus sic recesserat, ut cum reliquis humoribus, absque functionum laesione, per vasa fluere non potuit. Verum postquam ejecta fuissent de corpore haec noxia vel superflua, nocebit diarrhoea, si ulterius pergat: Sic notat HIPPOCRATES *, "In alvi perturbationibus et vomitionibus sponte abortis, si quidem, qualia oportet purgari, purgantur, confert et facile ferunt; sin minus, non."

NONNULLI hunc fluxum ad statum tempus perdurare limitabant, antequam aliquid incommodi induxerit; sed minus recte affirmant, quoniam ab aegroti viribus potius judicatio fieri oportet.

MAGNI olim estimabatur color et consistentia excrementorum, et non pauca ab iis deducebantur prognostica; sed haec praetermittenda sunt ut incerta fortassis, et sufficiat tantum observare, Quo magis a statu

C recedunt

* Aphor. 2. sect. 1. Charter. tom. 9. p. 5.

recedunt naturali, et colorem ad nigrum vergentem, cum odore putrido, acquirunt, eo pejus: Monſtrat enim, humores corporis in genere, et ipſa inteſtina, in corruptionem progredi.

*2do*, MORBI cauſa remota in mente habenda eſt; quaecunque enim ex cauſis procatarcticis, ad corpus debilitandum, magis tendit, fluxum excitando et morbum amplificando, indicat majus periculum. Nam, ſecundum BOERHAAVIUM*, "Si continuatur diu fluxus, viſcera abdominalia magis magiſque in eundem morbum diſponit; eadem labefactat; excoriat; inflammat; reliqua autem vaſa et viſcera emungit, exhaurit; hinc atrophia, macies, debilitas, dyſenteria, inſpiſſatio fluidorum per totum habitum corporis; ſolidorum laxitas; fluidorum jactura; leucophlegmatia; hydrops; tabes."

*3tio*, ÆTAS aegroti. Quo debilius corpus, eo pejus aliquam feret evacuationem; in ſenibus praecipue, quorum natura in ſiccitatem tendit, et ideo ſuccis ſemper indigent,

* Aphor. 721.

gent, magis notabile erit; hinc apparet, quam funestum est eis, aliqua fluidi jactura. Juvenes vero, qui succis luxuriantur et robore, facilius eam ferunt. Infantibus mitius fere accidit; quibus quodammodo familiare est alvum deponere laxum; sed in his, si medicamentis non sedetur, aeque mala evadit ac in provectiore aetate, et eosdem producit effectus. His addi possint, feminae, quae magis sunt laxae et debiliores quam viri, maxime pericli tantur illae quando gravidae sunt; quare HIPPOCRATIS dictum*, "Mulieri utero gerenti, si alvus multoties profluat, abortûs periculum est:" quia exhaustis sic vasculis non superest quod in una muliere duo corpora simul sustineat.

4*to*, ALIA excreta. Haec notari merentur; nam quando per unum alveum exeunt omnia liquida, reliqua secernentia organa, suis privata humoribus, varia patiuntur mala; et igitur † "Bonum praebet signum debita urinae excretio, cum denotat, intestina

* Aphor. 34. lib. 5.

† Van Swieton, com. § 722.

testina non demittere omnia ingesta, sed, e contra, liquida, venosis osculis resorpta, sanguine misceri, et dein per renes excerni. Cum autem naturaliter per urinam illa exeant de corpore, quae jam acriora facta nocerent, admodum probabile videtur, hoc modo excerni posse talia, quae ad intestina delata irritantem stimulum facere possint." Ob easdem causas copiosa perspiratio curationem pollicetur.

Diarrhoea in initio neglecta diu perduret. Auctor supra memoratus in Boer. aphor. 721. ita dicit, "Vidi sic in pauperibus a malo victu ortas Diarrhoeas, neglectas in initio, per annos durasse, neque sanari potuisse, quacunque demum methodo tentarentur; licet nulla signa adessent corruptorum viscerum, vel latentis cujusdam in corpore vomicae; sed mera tantum laxa debilitas intestinorum, et viscerum abdominalium, pertinacem morbum facere viderentur."

Si causa Diarrhoeae in primis viis haereat, tunc longe facilius curationem admittit, quam si a vitio cujusdum visceris, vel

quavis

quavis externa de causa oriatur ; quia loco affecto applicentur remedia, et in hoc plerumque casu mitior est morbus.

Ultimo, inter lethalia Diarrhoeae signa, praecipua sunt:

1*mo*, Singultus, qui diaphragmatis est convulsio ; et in hoc morbo, a diaphragmatis cum intestinis sympathiâ, oriri videtur.

2*do*, Lethalem dixit Hippocr. alvi dejectionem quae sine sensu exit ; nunc enim paralytica fiunt intestina et insensilia fere. Sed hanc tantum fecit prognosin, si non deliraverint.

In phthisicis lethalem esse alvi fluxum qui colliquativus dicitur, idem monuit author, quia corpus cito exhaurit ; sed fluxum periculosum potius quam lethalem velle videtur.

## METHODUS MEDENDI.

In hujus morbi curatione, innumerae traduntur methodi ; cum vero causae Diarrhoeae generales diversae sunt, atque singulae

gulae harum ab aliis, et quidem admodum variis, pendeant, patet evidenter, nullam universalem ejus curandae methodum tradi posse; et prout causa varia est, ita methodus, quae in quatuor hisce sequentibus consistit.

1*mo*, MATERIAM peccantem corrigendo.

2*do*, EAM corpore eliminando.

3*tio*, MOTUM intestinorum sedando, et

4*to*, INTESTINA roborando.

1*mo*, MATERIAM peccantem corrigendo. Quando acidum hujusce morbi causa est (quae fere levissima est, infantibus delicatulisque praecipue accidens) facile perficitur medela, ea exhibendo quae acidum enervandi potestatem habent, qualia testaceorum diversa genera, et alia absorbentia, inter quae Magnesia alba palmam praeripit; quia acidum non solum corrigendi potestatem habet, verum etiam tunc lene fit catharticum. Huic fini quoque inserviunt creta et diversae sigillatae terrae, earumque praeparationes, qualia, julap. cretaceum, et

decoct.

decoct. japonicum, Pharmacopoeiae Edinensis.

Scimus alkalinum cum acido unitum quicquid dare neutrius participans, et ideo neutrum dictum; quare cum ab acido oriri Diarhoeam certi facti sumus (quod a viride faecuum colore et eructationibus acidis percipitur) alkalinum aliquando cum successu exhibeatur, quale sp. cor. cer. prae caeteris. Si viscida et simul acrior bilis, vel rancidum pingue intestinis adherens, Diarrhoeae causa fuerit, danda sunt diluentia et saponacea; ut infusum panis tosti; mel; rob. sambuci, et similia: haec enim obvolventi et inviscanti donantur potestate, et ideo prosunt acriores humores mitificando et inertes reddendo; et simul interna intestinorum superficies iisdem sic munitur, ut acria minus illam irritare et laedere possunt; ob hanc rationem aquae diluenti adduntur mollissima, qualia, althaeae, malvae, &c. folia, flores, radices; decoct. avenae, &c. hîc addi possit aqua hordeata et aqua in qua cocta fuit oryza; sed observandum est, haec nocere quando a laxitate oriatur malum.

*2do,*

2*do*, EAM corpore eliminando. Omnium citissima Diarrhoeae curatio obtinebitur, si sursum vel deorsum expelli possit illud, quod stimulo suo morbum fecit; et observationes practicae docent, per vomitum faelicissime curari, et, ut ipsius utamur CELSI verbis*, "Illud quoque scire oportet, quod ventrem vomitus solutum comprimit.

HAECCE curatio non a materia peccante ejecta solum pendere videtur, sed a vi fortasse emeticorum, motum intestinorum peristalticum invertendo. Inter emetica efficacissima et simul tutissima numerari solet rad. Ipecacoanhae, quae, praeter vomendi potestatem, aliqua virtute specifica hoc in malo donari supponitur. Antimonialia proxime notari merentur; caute tamen exhibenda, quoniam acria plerumque sunt.

QUOAD cathartica, non raro ab iis solis perficitur sanatio, sed eo melius si praegressa fuerit vomitio; mitissima vero esse debent. Nullum fortasse huic melius convenit, quam Ipecac. prius memorata, in dosibus

* Lib. I. cap. 3. p. 32.

dosibus parvis et repetitis exhibita, tunc enim purgans fit. Inter alia cathartica leniora, rhabarbarum praecipue, praescribi solet, quia virtute aliqua adstringente gaudere videtur. Rhabarbarum simul cum ippecac. junctum, egregium dat remedium.

NON praetermittenda sunt sudorifica et diuretica, quae, materiam peccantem per alium divertendo alveum, sanationem perficiunt; pulvis DOVERI optime huic respondit indicationi.

3*tio*, MOTUM intestinorum sedando. Si ab aucto intestinorum motu oriatur alvi fluxus, nihil faelicius medelam perficit opiatis, quibus solis non raro absolvitur sanatio, sed maximum suum habent effectum quando prius eliminetur intestinorum saburra. Haec quoque sudorem ad corporis superficiem determinant. Post vomitoria ideo et cathartica praecipue indicantur. Hoc in loco memorandum est enema de amylo cum opio.

4*to*, INTESTINA roborando. Hoc omnino necessarium esse facile apparebit, quia fluxus in tempus longius perdurans, non solum tubum ipsum alimentarem laxum et debilem

reddet, verum etiam totum ſyſtema eodem modo afficiet: hunc igitur in finem a medicis paſſim laudata ſunt leniora adſtringentia et roborantia. Adſtringentia, enim, ſi caute exhibita, magni plerumque commodi; ſin minus, mali eveniunt; ſi enim adſtringentibus alvi fluor ſiſtatur antequam noxii humores expulſi fuerint, graviſſima ſaepe ſequuntur mala; hiſce vero expulſis, maximi ſunt uſûs. Apud FORESTUM*, duo habentur caſus Diarrhoeae ſolo meſpilorum immaturorum uſu ſanatae. Hic quoque proſunt chalybis praeparata diverſa; haec autem majoris momenti fiunt cum aromatico quodam juncta, qualis cinamomo, cujus efficaciam experimento probavit celebris HALESIUS †. Nonne in hoc ſtadio prodeſſet cortex Peruvianus?

INTER adſtringentia memorari meretur lignum Campachenſe, commodum nulli alteri fortaſſis ſecundum, ſaepiſſime praebens, ſi tempeſtive exhibitum.

CELEBRE et efficax remedium a nonnullis cortex Simaraubae decantatur, et ſaepius in ſtadio

* Lib. 22. cap 1. tom. 3. p. 47.

† Haemaſtat. exper. 17.

ſtadio hujus morbi peſſimo auxilium attuliſſe dicitur, vi etiam Ipecacuanhae ſpecifica deficiente.

Ultimo, aqua calcis cum lacte miſta, adſtringente et roborante qualitate, ſalutare evadit remedium, etiamſi diu duraverit morbus, et inteſtina laxa et debilia fuerint.

Haud parvi momenti eſt, Diaetae conſideratio, quae reſtaurans eſſe debet, qualis oryzae ſemen in lacte coctum, ſago, ſalep, gelatina cornu cervi, jura carnium, et ſimilia.

Potus ſit parcior, ex infuſione panis toſti in aqua, vel ex vino rubro cum eadem aqua diluto, pro potu communi. Aliquando unus et alter cyathus vini meracioris aegro concedendi ſunt: Hiſce omnibus rite peractis, lene exercitium ultimo inſtituendum eſt prout aegri vires ferre poſſunt.

Quando Diarrhoea ſymptomatica eſt danda ſunt medicamenta morbum primigenium debellando apta.

FINIS.